

Pars prima de vniuerso

primi celi transfunditur in scdm et a scdo in tertium et ita donec veniat ad vltimum celum nobilem quod est celum lune etiam si non sit alia ligatura vel ligatio inter eos quam contiguitas siue contactus. Quemadmodum apparet in exemplo proposito. Amp. in sitionibus arborum manifestum est tibi ipso sensu quia transfunditur virtus vitalis a trunco in surculum in situm illi cum alia ligatura quam contactus sibi inuicem non hereat. Quod ergo mirum si vita illa primi celi se transfundit in secundum et ita de alijs. Amp. in ipsius vite contrarijs inuenies transfusiones numerabiles quemadmodum in morbis quod non est per me neque leuis admirationis quia vno laborante morbo caduco cadente cadunt multi. Vides igitur quod morbus iste se transfundit in stantes et maxime pueros etiam propter appropinquationem contiguitatis ipsa etiam medicina laxatiua et purgatiua solo aspectu virtutem suam transfundit in aspicientem et humores noxios illi et euacuat ipsos. Notissimum etiam est tibi de virtute ignis et alijs actiuis qualiter transfundat operationes suas in contigua sibi passibilia atque receptibilia operationum suarum et quia contactus via est ad homini operationes. Quare si primum illud ac nobilissimum celum secundum platonem sedes anime est illius et propter hoc necessario est habens in se maximam redundantiam vite ex ipsa presentia fontis illius. Quid mirum si in corpora sequentium celorum influit vita et motus aliaque animarum operationes cum homini corpora ex ipsa similitudine celi illi nobilissimisque suis dispositionibus. Has influentias recipiendas naturaliter aptatissima sint eorumque captatissima. Sicut enim quantum mihi videtur secundum intentionem platonis fontem vite et motus habere in se celum illud. Sicut sol fontem luminis et caloris et simili largitate in receptibilia illos influere. Quod si dixerit quod influentia ille aut anime sunt aut tantum influentia animalis non refert opinor secundum platonem hoc est non videtur inconueniens esse concedere quod reuera anime sint. Cum ipsemet quosdam partes animalium animalia esse dixerit Aristoteles non abhorruit dicere quod quod animam oculi visum esse siue virtutem visibilem. Si vero quis obijciat quod secundum hoc erit anima ex anima nec hoc inconueniens est apud multos videtur quod virtus visibilis ex anima totius animalis siue hominis siue alterius sit. Nec dubitatur ab aliquo intelligente quin perfectio

oculi quia est instrumentum viuum et naturale viuendi sit perfectio corporis naturalis potentia viuentis siue vitam habentis. Quare erit ex necessitate anima secundum hanc diuisionem Aristotelis nisi forte Aristoteles intelligere voluerit de corpore perfecto quod natum est esse per se vel in alio vel de alio et hoc fortasse non irrationabiliter quis intelligat animam vero filij ex anima patris esse impossibile esse iam declaratum est tibi per me alibi apud Aristotelem vero et sequaces eius non reputatur inconueniens intelligentiam esse ab intelligentia donec veniatur ad vltimam quam dicunt esse motorem celi siue sphaere lunaris. Primam autem intelligentiam solam a creatore esse per viam creationis. Secundam vero a prima sicut alibi iam dixi tibi. Consequens igitur est ut nec reputentur inconueniens animam secundum celi esse ab anima prima vel ab intelligentia primi celi. Animas etiam nostras creari ab aliqua ex intelligentijs dicere verum non sunt intollerabiliter abutentes verbo creandi et creationem ipsam que operatio est propria et possibilis creatori benedicto creature errore ipsissimo tribuentes.

Quod innumeros forme anime illius plato applicuit et aptauit et quasi in compositionem ipsius venire illos asseruit ex ipsa mundi fabrica cui animam homini posuit accepisse videtur. Posuit enim distancias que sunt a terra usque ad celum nouum ymouusque ad octauum secundum ipsum proportionales esse numeris quos posuit in figura sua et totum mundum esse posuit musicalem presertimque ipsius iuxta quod de eo intelligere potuit proportionibus musicis sibi inuicem naturaliter consonas et connexas et propter hoc ipsam animam mundi que corpore suo concordare necesse habet atque congruere similibus nexibus esse naturaliter unitam quodammodo compactam quemadmodum tetigit tibi supra cum loquor de eodem ipsius et diuerso. Induxit etiam eum visus virtusque musicalium proportionum que adeo ut ipsemet dixit potentes sunt in animas nostras ut tote anime nostre in parte earum posite videantur immutari quippe eas mira facilitate secundum dispositiones illas que sunt secundum virtutem percipibilem et irascibilem et hoc pro voto seu libito musicantur. Si in arte musica exercitatus fuerit et euadit perit a dolore namque in gaudium